

lium. 2. *Honoratus Tournely* assignat Ecclesiae regimen mixtum ex Monarchico et Aristocratico, et Papae superioritatem supremam in singulas dumtaxat Ecclesias, non in omnes simul collectas. *Collet* illius continuatur, concedit primatum et infallibilitatem Sedi Apostolicae seu Papae cum Clero Romano, non item Papae solitario. 3. *Marcus Antonius de Dominis* s. Petro attribuit primatum vocationis tantum, aetatis et favoris, Ecclesiae vero regimen Aristocraticum. 4. *Horix* si Petrum solum facit inspectorem confratrum suorum, ne officio suo desint, ridiculam asserit quaestionem, de regimine Ecclesiae: taceo *modernos* quosdam, qui miscere conantur Lutheri principia cum Jansenii dogmatibus, ut Eclecticam Religionem sub juris naturalis aut publici schemate efferrent, exemplo *Paschas. Quenelli*, qui 30. annis per Belgium profugus, editis 25. variis opusculis, attraxit cum suo *Ant. Arnaldo* integram hominum factionem fictitis passim nominibus usam, multos adversus Pontifices excitantem, in ipsas adeo Academias Lovanii et Duaci aditum tentantem, et plus libellorum undique spargentem, quam per duo saecula secta Calviniana disseminarit, ut refert *lib. Motivum juris etc. et Constitutio Unigenitus propugnata*. V. Card. Sfondrati, Danes etc.

CAPUT IV. De Sacramento extremae Unctionis.

S. I. Praenotanda.

891. I. Sacramentum, quod a Graecis in Euchologio vocatur *εὐχέλαιον*, oleum sanctum, item *εὐχέλαιον*, oleum cum oratione; a latinis dicitur extrema unctio, tum quia infirmis in exitu vitae constitutis solet administrari, unde etiam sacramentum exeuntium, ut ait *Trid.* sess. 14. c. 3., dictum est, tum quia haec unctio inter caeteras unctiones, quae in Ecclesia sunt in usu, ordine postrema est. Praeterea hoc sacramentum non modo poenitentiae (ut iterum loquitur *Trid.*) sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.

892. II. De fide est, extremam unctionem esse vere ac proprie Sacramentum. *Prob.* 1. ex Scriptura. *Jacobi* 5. v. 14. legitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quibus verbis sic conficitur argumentum: ad sacramentum vere ac proprie dictum tria requiruntur, scil. *signum sensibile*; *promissio gratiae huius signo annexa*; *institutio divina*: atqui haec tria in laudatis Apostoli verbis attribuuntur extremae unctioni: ergo. *Min. prob.* *Primo*, habetur *signum sensibile*, nimirum unctio cum oratione, et quidem hoc signum est perpetuum, et constanter fuit in usu in Religione Christiana, ut constat ex testimoniis patrum apud *Laym.* t. 8. c. 1. a. n. 3. *Secundo*, habetur *promissio gratiae*: *alleviabit eum Dominus* dando gratiam, ut infirmus morbi incommoda patienter ferat, et contra timorem mortis, ac conscientiae stimulos erigatur ad spem in Deum: denique, *si in peccatis sit, remittentur ei*. *Tertio*, habetur *institutio divina*, quam denotat Apostolus, cum tam fidenter promittat sacra illa unctione alleviandum infirmum, et peccata ejus remittenda, quam efficaciam nullus homo signo externo tribuere potest. De hac institutione *Trid.* l. c. cap. 1. ita docet: *Instituta est autem sacra haec unctio infirmorum tanquam vere et proprie Sacramentum N. T. a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem (c. 6.) insinuatam, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatam ac promulgatam*: Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat Presbyteros etc. Ubi recte dicitur, hoc Sa-

cramentum *Marci* 6. insinuatam: illud enim (ut ait *Bellarm.* de extr. unct. c. 2.) dicitur insinuari, quod non expresse proponitur, sed adumbratur, et obscure indicatur per aliud tanquam symbolum, neque illi unctioni legitur annexa gratia spiritualis, neque oratio Sacerdotum etc. quae omnia distincte enumerat Apostolus *Jacobus*. Quando autem determinate Christus instituerit hoc Sacramentum, ex Scriptura certo non constat. Probabilius juxta *Laym.* l. c. n. 2. institutum videtur *Joan.* 20., dum Christus Apostolis dedit potestatem remittendi peccata, ubi quidem praecipue institutum est Sacramentum poenitentiae; quia autem potestas conferendi extremam unctionem includit potestatem remittendi peccata, hinc recte dicitur, utrumque simul esse institutum, idque confirmat ex *S. Chrysost.* l. 3. de Sacerd. et *Origene* hom. 2. Numerorum.

Prob. 2. ex *Trid.* l. c. can. 1.: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Ex his recte definitur extrema unctio, Sacramentum a Christo Domino institutum, quo aegroti per sacram unctionem et orationem Sacerdotis in magnis morbi molestiis relevantur, et corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituntur. *893. III.* De effectu hujus Sacramenti *Trid.* l. c. cap. 2. ita docet: *Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur*: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei: *res etenim haec gratia est. Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, siquae sint adhuc expianda, et peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevarur, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.* Idem can. 2. l. c. definit: *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.*

Ex quibus liquet, triplicem esse effectum hujus Sacramenti. *Primo* confert gratiam sanctificantem, et quidem per se, gratiam secundam sive augmentum gratiae, cum sit Sacramentum vivorum; gratia haec, prout dicitur sacramentalis, denotat auxilia specialia ad alleviandam animam et abstergendas peccati reliquias, per quas intellige humanos defectus, et infirmitates ex peccato originali et actualibus contractas, quales sunt pro- pensio ad malum, torpor ad bonum, quaedam gravedo animam deprimens, quominus ad coelestia se erigat, moeror et anxietas, quae moribundos vexare solet, et diffidentiam provocat. *Secundo*, haec gratia Spiritus S. delicta, si quae adhuc sint expianda, et eorum reliquias abstergit: quae reliquiae (ut loquitur *S. Carolus* in instit. de extrem. unct.) peccata esse intelliguntur, sive mortalia, sive venialia, quae post alia Sacramenta remanent; potest enim fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus. Idem docet *S. Thom.* l. 4. contra Gentes c. 73. Praeterea per reliquias intelliguntur poenae temporales remissa culpa adhuc reliquae. *Tertio*, effectus secundarius est sanatio corporis, ex hypothesi, quod saluti animae expediat, uti verba illa: *Et oratio fidei salvabit infirmum*, explicant *Hugo Vict.*, *S. Thom.*, *S. Bonav.* Et *Eugenius IV.* in Decreto ad Armenos ait: *Effectus (extremae unctionis) est mentis sanatio, in quantum autem expedit, etiam corporis.*

§. II. Principia practica de Sacramento extremæ Uctionis.

894. *Principium I. Materia Sacram. extremæ unctionis remota est oleum ab Episcopo benedictum, materia proxima est unctio.* Utrumque clare colligitur ex verbis *S. Jacobi: Ungentes eum oleo.* Unde *Trid. l. c. cap. 1.* docet: *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus S. gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repræsentat.* Dixi 1. *Oleum* scil. olivarum; oleum enim aliunde, quam ex olivarum baccis expressum v. g. ex nucibus, aut oleum ex semine lini etc. non dicitur simpliciter oleum, sed cum addito, et secundum quamdam similitudinem: ergo sicut aqua ex floribus aut herbis educta non est materia idonea baptismi, cum non sit simpliciter aqua, ita a pari. Dixi 2. *Ab Episcopo benedictum*, ita quidem ut, juxta probabiliorum ac communiorum *S. Thom.* in supplem. q. 26. n. 5., *Bellar., Estii, Suaresii, Sylvi* et aliorum, benedictio sit de necessitate Sacramenti, hinc post damnationem 1. propositionis ab *Innoc. XI.* contraria sententia *Victoriarum, Cajetani, Natal. Alex.* et aliorum negantium benedictionem olei esse de valore, practice non est probabilis, hoc ipso quod quaestio sit de valore, et sententia affirmans sit probabilior, et fere communissima: alias enim Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Accedit, quod *Trid. sess. 14. c. 1.* de extr. unct. expresse tantum loquatur de *oleo ab Episcopo benedicto.* Insuper in congregatione generali habita die 14. Sept. 1842. coram *EE. et RR. DD. S. E. R. Cardinalibus* contra haeret. pravit. general. Inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremæ unctionis uti possit oleo a se benedicto, iidem *EE.* decreverunt, *negative*; quod decretum eadem die *Gregorius XVI.* approbavit. Hinc invalida esset unctio, si absente oleo benedicto quis adhiberet oleum olivarum non benedictum. Praeterea ex praecepto Ecclesiae oleum debet eo ipso anno, quo adhibetur, esse benedictum, qui annus a die Jovis sancto ad eundem diem Jovis sanctum sequentis anni reputatur. Ideoque peccatur graviter, si *extra necessitatem* adhibeatur antiquum.

Dixi 3. *Materia proxima est unctio*: quia usus vel applicatio materiae remotae dicitur materia proxima Sacramenti: ergo sicut ablutio in baptismo, ita in hoc Sacramento unctio, quae est applicatio olei ex verbis *S. Jacobi: Ungentes eum oleo*, est materia proxima. Porro *regulariter* non una, sed plures in diversis partibus corporis debent fieri unctiones pro cujusque dioeceseos consuetudine. In Decreto *Eugenii IV.* pro Armenis hic ritus describitur: *Infirmus ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum.* Unctio in renibus (de qua ibid. fit mentio) ex Conc. *Mediol. IV.* et plerisque Ritualibus pudoris causa praetermittitur. In praxi quilibet consulat Rituale dioeceseos, ubi ministrat, et sedulo adhibeat preces ac ritus ibi praescriptos.

895. *Princip. II.* Forma hujus Sacramenti est: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti.* Quae tota forma repetitur in singulis unctionibus singulorum sensuum, mutato solo cujuslibet sensus vocabulo, scilicet *quidquid per auditum, per odoratum, per gustum et locutionem, per tactum, per gressum deliquisti.* De hac forma (uti et de materia) ait *Trid. sess. 14. c. 1.* de institut. Sacram. extr. unct.: *Infirmatur quis in vobis etc. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia di-*

dicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum hujus salutaris Sacramenti; intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum... formam deinde esse illa verba: per istam unctionem etc. Idem Trid. l. c. can. 3. definit: *Siquis dixerit, extremæ unctionis ritum et usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.* Ex quibus clare conficitur, per hanc formam *deprecatariam* ex traditione universalis Ecclesiae satis determinari orationem generice a B. Jacobo expressam, neque eam mutandam esse, cum forma primario pertineat ad ritum et usum Sacramenti.

896. *Princip. III.* Minister hujus Sacramenti est Presbyter, sive solus Sacerdos legitime ordinatus. Patet ex verbis *S. Jacobi: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros etc.* De quibus verbis *Trid. sess. 14. c. 3.* ita docet: *Nam et ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiae Presbyteros, quo nomine eo loco, non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii.* Conformiter huic doctrinae definit can. 4. de extr. unct.: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Dixi supra in genere, *minister est solus Sacerdos*; valide enim quilibet Sacerdos administrare potest extremam unctionem, quia ad validam hujus Sacramenti administrationem in ministro habente intentionem hoc Sacramentum administrandi juxta institutionem Christi et ritum Ecclesiae, et adhibente debitam materiam et formam, sufficit potestas ordinis; licite vero illam administrare potest solus Sacerdos proprius, sive Parochus, et qui habet delegatam vel subdelegatam cum eo Curam parochialem, quali gaudent Sacellani, Cooperatores et alii cum facultate proprii Pastoris. Hinc si alius *sine proprii Pastoris licentia* extremam unctionem conferat, peccat graviter, et si sit Religiosus, insuper excommunicationem Papalem ipso facto incurrit juxta *Clement. 1. de Privil. et Clement. Dudum.* de Sepult. *Excipe casum extremæ necessitatis.*

897. *Princip. IV.* Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, qui rationis usum adeptus est, et ex morbo vita periclitatur. Ita colligitur ex verbis *S. Jacobi: Infirmatur quis in vobis?* Et *Trid. l. c. cap. 3.* docet: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convalescerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint. Dixi supra 1. *Homo baptizatus*, quia sine baptismo, qui est janua Sacramentorum, homo non est capax aliorum Sacramentorum, quae Christus pro salute fidelium, sive Ecclesiae instituit. Dixi 2. *Qui rationis usum adeptus est*; hinc extrema unctio administranda non est infantibus et perpetuo amentibus ut constat ex praxi Ecclesiae. Ratio autem est, quia in his locum habere nequit forma: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*; infantes enim et perpetuo amentes sunt incapaces peccati personalis. Praeterea cum hoc Sacramentum sit consummativum poenitentiae, supponit, illum, cui confertur, esse capacem poenitentiae, tentationum, et peccatorum actualium; praecipuus enim fructus, et finis extremæ unctio-

nis est, abstergere peccatorum reliquias, et tollere impedimenta introitus in regnum coelorum, ut ait *Laymann* L. 5. t. 8. c. 4.

898. *Princip. V.* Ad recipiendam valide et cum fructu extremam unctionem juxta Rituale Rom. *illud imprimis, ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem, poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebentur.* In homine justo sufficit voluntas vel actualis, vel virtualis, vel habitualis suscipiendi hoc Sacramentum, quamdiu non est retractata: imo videtur sufficere interpretativa, vel ut vocat *P. Antoine* de extr. unct. q. 5. generalis illa voluntas, qua unusquisque poenitens, et bene dispositus vult frui omnibus remediis ad salutem necessariis, vel utilibus a Christo institutis, ut constat tum ex *Rit. Rom.*, tum ex praxi Ecclesiae conferentis hoc Sacramentum subitaneo morbo oppressis, et sensuum ac rationis usu subito destitutis. Homo vero peccati mortalis sibi conscius praeter voluntatem recipiendi Sacramentum saltem generalem tenetur, si possit, praemittere confessionem, vel si nequeat, dolorem de peccatis, et quidem perfectum juxta illos, qui defendunt, quod extrema unctio ex attrito non faciat contritum. *Suarez* in 3. p. d. 41. sect. 1. n. 19. etsi concedat, hoc Sacramentum posse aliquando facere hominem de attrito contritum, et infundere gratiam primam, nihilominus requirit, ut is, qui conscius est sibi culpae mortalis et non potest confiteri, eliciat contritionem perfectam; quia hoc Sacramentum per se supponit gratiam primam; infert: Est ergo contra institutionem hujus Sacramenti, quod quis sciens, se esse in statu peccati mortalis, illud suscipiat, quantumvis sit attritus. Et infra concludit: Alias tam esset per se institutum hoc Sacramentum in remedium peccati, sicut poenitentia, quod plane falsum est. In sequentibus vero casibus, ait, posse per accidens sufficere solam attritionem: 1. Si vel invincibiliter putetur contritio, quae tantum est attritio. 2. Vel si quis invincibiliter putet, attritionem esse sufficientem dispositionem. 3. Si Sacramentum extremae unctionis detur ei, qui jam est destitutus usu rationis, sed antea compos mentis elicit attritionem, quam non revocavit. Plura vide in Theol. Schol.

§. III. Resolutio Casuum.

CASUS I. De materia remota et proxima extremae Uctionis.

Nathanael Sacerdos inungit moribundum per errorem sacro chrismate loco olei; dum claudit vasculum, advertit errorem, ideoque denuo inungit. Post unctionem oculorum advertit moribundum ita deficere, ut non amplius det signum vitae, hinc omittit reliquias unctiones: paulo post iterum respirat aegrotus.

899. Q. I. An chrisma sit materia valida hujus Sacramenti; item an Nathanael in casu recte egerit iterando unctionem, cognito errore adhibiti chrismatis loco olei infirmorum? R. *Ad primum; Suarez* in 3. p. d. 40. sect. 1. n. 10. censet chrisma, licet mixtionem habeat balsami, esse sufficientem materiam, eo quod olim infirmis ungentis adhibitum fuerit, ut probat ex responso *Innocentii I.* ad Decentium, item ex Conc. Wormat. et Aquisgranensi. Nec refert, quod chrisma non sit benedictum benedictione olei infirmorum, quia illa benedictio in Pontificali probabiliter non est de necessitate Sacramenti, sed praecepti. Adde quod Concilia solum benedictionem Episcopalem tanquam necessariam exprimant; nihil autem de modo benedictionis determinent. Denique etiam ex eo probatur, quod mixtio balsami tam exigua esse soleat, ut oleum nec physice, nec mora-

liter quoad substantiam mutari censeatur, ideoque de chrismate vere affirmari potest, quod sit oleum ab Episcopo benedictum. Alii vero cum *Palud.*, *Soto*, et *Valentia* tenent contrarium, eo quod sicut hodie, ita et olim semper fuerint distincta unguenta confirmationis et extremae unctionis, quamvis uno eodemque vocabulo chrismatis expressa, ut probant ex Conc. *Meldensi*. Ex his *Laymann* L. 1. c. 2. n. 3. pro praxi deducit: Si ad manum non habeatur oleum infirmorum, non licere Sacerdoti ad extremam unctionem uti chrismate, quia saltem nunc consuetudo Ecclesiae repugnat; in casu tamen urgentis necessitatis id licitum esse concedit *Leonard.* t. 5. de extr. unct. c. 1. §. 4. n. 15., quia concurrente probabili DD. sententia, in casu necessitatis urgentis, materiam vere probabilem adhibere praestat, quam indigentem privare hoc medio salutis. Multo magis in tali casu adhiberi potest oleum benedictum pro infirmis, si mixtum sit balsamo, aut alio liquore in quantitate tam modica, ut communi aestimatione adhuc censeatur esse oleum. *Babenst.* t. 8. p. 6. d. 7. a. 2. n. 3. cum *Palao* et *Salmant.*

Ad secundum respondet *Laym.* l. c.: Si Sacerdos per errorem infirmum unxit sacro chrismate, probabiliter nihil esse repetendum, sed rem Deo commendandam, quia plerumque id fieri nequit sine scandalo. Alii censent saltem tunc esse iterandam unctionem, quando infirmus nec suscepit, nec suscipere potest aliud Sacramentum.

900. Q. II. Quid? si Parochus per annum advertat, non sufficere oleum infirmorum usque ad illud tempus, quo recens benedictum accepturus est? R. Si facile non possit habere ab Episcopo, licebit in minore quantitate affundere oleum olivarum non benedictum, ut tenet communis DD. sententia ex c. *Quod in dubiis*, de consecr. Eccles. ubi expresse habetur: *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Idem habetur in *Rit. Rom.* a *Paulo V.* approbato. Idem declaravit s. Congr. 1682. 23. Septemb.

901. Q. III. An de essentia hujus Sacramenti sint omnes unctiones in Decreto *Eugenii IV.* expressae, et formae prolationes? De hac quaestione *Bened. XIV.* in Tr. de Syn. Dioec. L. 7. c. 18. respondet primo, quod *ultra DD.* omnes fateantur cum *Suar.*, duas postremas unctiones, pedum scilicet et renum necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem, tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias, tum quia illa renum honestatis et pudoris causa semper omittitur in foeminis. Secundo ibid. ait, quod antiquiores Scholastici cum *S. Bonav.*, *Palud.*, *Soto*, *Bellarm.*, *Valentia*, et aliis plurimis existimarint, caeteras quinque sensuum unctiones pertinere ad substantiam, et integritatem Sacramenti. Tertio refert, quod alii, et quidem recentiores passim cum *Sylvio*, *Nic. Serario*, *Becano*, *Estio*, *Nat. Alex.* etc. censeant, unctiones quinque sensuum necessarias quidem esse de praecepto, sed non de essentia, ideoque validum esse extr. unct. Sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata forma universali omnes sensus complectente, idque probat ex peculiarium Ecclesiarum Ritualibus. Quarto denique subjungit: *Sed quoniam neque de hac quaestione, quae sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo aliquid de illa decernere, sed dumtaxat Parochos monebit, ut cum prudenter timent, aegrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronuntians... quin imo in praedicto eventu consultius esse, ut caput, a quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur, non immerito advertit *Coningck.* Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit ut*